



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Sancti Felicis & Archipresbytero Capitis Ageris Torcellanæ &
Clugiensis diocesum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

pareat idonea cautione recepta, easdem sententias relaxetis, inuncto nobili memoratæ quod de jure videritis injungendum. Super aliis verò, vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita stantentes, sic occurratis malitiis quòd salva justitia nec lædatur immunitas cruce signatis indulta, nec immunitatis beneficium ad iniquitatis defensionem trahatur ab aliquo in alterius læsionem. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani Nonis Januarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*ARCHIDIACONO GRADENSI,
& Archipresbytero Capitis Ageris
Clugiensis diocesis.*

*Epist. 200.
Ei confirmatur
plebanatus de
Rivoalto.*

Supplicavit nobis dilectus filius Petrus Pino Subdiaconus noster Canonicus sancti Marci ut cum venerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicæ sedis Legatus plebanatum Ecclesiæ sancti Iohannis de Rivoalto, cujus donatio ad nos erat secundum statuta Lateranensis Concilij devoluta, canonicè sibi duxerit concedendum, concessionem ipsam apostolico dignemur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus plebanatum ipsam ei, sicut justum fuerit, confirmantes, faciatis ab eo pacificè possideri, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo mediante justitia compescendo. Datum Laterani 14. Non. Januarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*ABBATI SANCTI FELICIS
& Archipresbytero Capitis Ageris
Torcellane & Clugiensis diocesis.*

*Epist. 201.
Similis argu-
menti.*

Significavit nobis. Archidiaconus Gradenensis quòd cum plebanatus Ecclesiæ sancti Apollinaris de Venetiis tanto tempore vacavisset quòd secundum Lateranensis statuta Concilij ad nos ejus erat donatio devoluta, venerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicæ sedis Legatus attendens redditus archidiaconatus ejusdem penè penitus esse nullos, plebanatum præfatum sibi legationis auctoritate concessit. Vnde nobis humiliter supplicavit ut concessionem eandem apostolico dignemur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint

evocandi, & inquisita plenius & cognita veritate, si redditus archidiaconatus ejusdem adeo esse inveneritis tenues & exiles quòd non possit de ipsis dictus Archidiaconus congruè sustentari, plebanatum prædictum eidem, sicut justum fuerit, confirmetis, & faciatis ipsum pacifica ejusdem possessione gaudere, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Tu denique, fili Abbas &c. Datum Laterani 14. Non. Januarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

MORINENSI EPISCOPO.

Contingit interdum quòd dum clericali caractere insigniti ad turpia læcra divertunt & secularibus negotiis se immiscunt, clericale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. Sanè, sicut accepimus insinuantibus nobili viro Comite Flandrensi ac nobili muliere Mathilde relicta quondam Philippi Flandrensis Comitum, in diocesi tua quidam existunt qui nec in modo tonsuræ nec in vestium forma nec in qualitate negotiorum de clerico quicquam ostendunt, ad pœnæ subterfugium se clericos exhibentes, quia cum super excessibus quos seculari luxu committunt ad publica judicia pertrahuntur, circumcivibus, ut possint circumvenire vindictam, se pro clericis representant, clericis fori privilegium labii allegantes, qui factis paulò antè negaverant clericatum, dumque repentina tonsura pœnas elidunt quas intonsi perverfis actibus meruerunt, per impunitatis fiduciam nutritur in eis audacia delinquendi, & dum impune delinquant, quibusdam efficiuntur in scandalum & aliis in exemplum. Vnde quia privilegium meretur amittere qui permitta sibi abutitur potestate, ac frustra legis auxilium invocat qui committit in legem, volumus & mandamus ut tales, si tertio à te commoniti se ipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis expertes quæ pro clericorum tutela & laicorum violentia coercenda noscitur instituta. Tu denique, frater Episcopo &c. Datum Laterani 15. Idus Januarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est Atrebatensi Episcopo. In eundem modum scriptum est Tornacensi Episcopo.



ABBATI